



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 28. S. Birgittæ obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

**Sæcul. XIV.** petuo. Arnaldus noluit ejurare suos errores, quanquam id simulabat: sed fuga se subduxit. Citatus non adfuit ad iudicium; novemque annis permansit contumax. Tandem ut Inquisitor Emericus Urbanum V, dein Gregorium XI consuluit, una cum Berengario Davide tunc Urgellano Episcopo publice Arnaldum declaravit hæreticum obstinatissimum, ac errores ejus damnavit. Ergo Gregorius Armando Fratrum Minorum Ministri Provincialis Vicario scripsit, ut profugum in Orientem Arnaldum Montanerium ad Summam Sedem captivum mitteret.

## §. XXVIII.

*S. Birgittæ obitus.*

**Sup. §. 17.** Sancta Birgitta obtenta ab Urbano V confirmatione sui Ordinis Neapolim primo, tum in Siciliam, & inde Romam delata, quod se crederet divinitus admonitam, ut Hierosolymam iret, etsi sexaginta novem ætatis annos habens Palæstinam cum filia sua Catharina petiit.

**Heliot. to. 4. p. 38.** Illic obibat sacra loca omnia, quorum in numero semper ducebatur Nazarena domus Virginis ab Angelo salutatæ. Romam reversa Birgitta inibi apud S. Clare filias ad S. Laurentium in Panisperna, quo se receperat, sanctam oppetiit mortem

**Bull. can. n. 22.**

**n. 41.**

mortem 23 Julii anno 1373. Sequenti <sup>Sæcul. XIV.</sup>  
 anno corpus ejus curis Catharinæ filiæ <sup>A.C. 1373.</sup>  
 translatum in Sueciam sepultum est in  
 Vadstenano cœnobio, quod illa condide-  
 rat, & ubi multa fiebant opera naturæ  
 viribus majora.

## §. XXIX.

*Sandiones pro Candia.*

Candiam tum temporis tenebant Ve-  
 neti, sed incolebant Græci ex maxi-  
 ma parte schismatici, quos Monachi, &  
 Sacerdotes sui pro viribus avocabant a  
 reditu ad Romanam Ecclesiam. Idcirco  
 Papa Urbanus anno 1368 hujus insu-  
 læ Archiepiscopo, & Suffraganeis scripsit  
 epistolam, in qua dicebat: Modo, dum  
 ecclesiasticæ censuræ Magistratus civilis  
 ope melius mandari executioni queunt,  
 in hac insula extirpatum iri schisma  
 sperantes præcipimus, ut Græcorum ne-  
 mo ad Ordines promoveatur nisi per  
 Episcopum Latinum, aut Græcum Catho-  
 licum, qui hoc per litteras testetur suas;  
 & consecratus a tali Sacerdos divinum  
 sacrificium, officiumque ex ritu Ecclesiæ  
 Romanæ peragat. Vetamus insuper, ne-  
 quis Monachus, vel Sacerdos Græcus  
 nostrum non servans ritum deinceps au-  
 deat confitentibus operam dare, aut e sug-  
 gestu ad Populum dicere.

Etiam

Rayn. 1368.  
n. 20.